

Esaias Propheta obseruauit. Siquidem in præcedente 52. capite per omnia præclarè de Christo erat locutus, quomodo filios Dei à potestate Satanæ, & spirituali captiuitate, & seruitute peccati erepturus, eosque iustitiâ, & gloriâ induturus sit, & ornaturus; v. 1. 2. & v. 13. Extolletur (inquit) seruus meus, prosperabitur, eleuabitur, & altus erit valdè, &c. Vt autem constaret non loqui eum de mundana gloria, aut regali dignitate, porrò subiungit, cap. 53.

1. Non credituros homines verbo, aut prædicationi eius, versic. 1.

2. Permultos in eo offendiculum passuros, tum ob natiuitatem eius contemptam, tum vero ob passiones eius crudelissimas. v. 2. &c.

3. Passiones has, sicut eas & corpore, & anima sensurus erat, ordine recenset, dum ait, Eum, quoad corpus plaga affectû, percussus, afflictus, attritus, & vt pecudem ad maclationem abductam iri: quoad animam verò, passurum eum omnium hominum ludibria & contemptum, anxietates infernales, adeoque ipsius Dei irati iudicium, &c. Quæ omnia in hunc finem cõmemorat, ne, vt dixi, erroneis, aut puerilib. cogitationibus animus cuiusq; circa hunc Regem præoccuparetur. Et hæc quidem agit in prima cap. parte.

Deinde, Ne fortè ob insperatum hunc successum Rex hic à nobis repudiaretur, certam huius miseriæ, & passionis Christi causam patefacit, nimirum Dei patris iustam voluntatem, qui omnia peccata nostra, quas peccatis nostris commeruimus pœnas in eum coniecerit: tres rationes assignans, ob quas passionum Christi, causa offendi nemo iure debeat. Ratio 1. est, quia patiatur propter nos. 2, quia emerfurus sit ex omnibus passionibus suis. 3, quia passione sua æternam nobis iustitiam sit promeriturus.

Atque hæc, quæ à Propheta ante annos 720. prædicta sunt, ita planè acciderunt, & complementum suum in Christo acceperunt, nimirum anno eius 30. 31. 33. & 34.